



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 5. In Iguasuana colonia turbatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

ROCHO Gonsalvio cruentâ morte sublato, Paranensibus & Urvaicensibus Sociis, Petrus Romerus, eandem aliquando palmam adepturus, cuius oneri par, suffectus est. Urvaicensis verò Provincia recenti tumultu concussa, & sanguine calens, in motu adhuc erat; torquebatque multorum animos superstes Niezuuius, & timebatur, ne, redintegratis alibi viribus iram reaccenderet, eò periculosius, quò recens victoria confidentiores Neophytos redderet. Igitur Ibiticani Neophyti, convocatis undique auxiliariis copiis, classem centum cymbaram adornant, eoque provehunt adverso Urvaicâ, ubi Niezuuius res novas moliri putabatur. Circum omnia littora investigata, & per audacissimos quosque sylvæ excussa, donec inquietum animal plus centum leucis fugisse compertum est. Reditum meditantibus exploratores nunciant, in nemore procul abs se viros seniculos duos decrepitâ prorsus ætatis, morti jam proximos; ad eos tamen ob hostium suspicionem sine periculo penetrari non posse. Didacus Alfarus, qui classi aderat; nihil, inquit, in causa Dei pericula moror. Quo dicto, exscensione factâ, per nemorum spissitudinem, accepto viæ duce, iter capessit; repertos senes raptim instruit; instructos ritu Catholico abluit, & abluti in Cœlum, ut spes est, transportati sunt. Sic non frustra bellum tentatum fuit: nam Niezuuius longè fugiens Urvaicam utcumque metu liberavit, & dæmon bino vulnere accepto debilitatus est, ostenditque Deus aliò vergere sua & mortalium consilia, dum tanto apparatu è dæmonum servitute seniculos hos eripit.

ETIAM in Iguafuana regione aliquid turbatum est. Omnibus Sanctæ Mariæ Majoris oppidanis Ethnicis hæc tempestate indictum fuerat, ut unâ ex pellicibus in uxorem assumptâ, cæteras domo pellerent, si Catechumenorum albo inscribi vellent. Plerique, quibus cœlitus major indita virtus, dictis parvère. Cæteri, verentes ne ad id vi adigerentur, fugâ elapsi, adverso fluvio, & deinde per spissa nemora fugientes, in semoris locis semente facta pagum avito more construxere, legi Christianæ nuncium remittentes. Vulgatâ fugâ, Claudius Ruierius, fidelissimos in speciem Neophytos ad transfugas mittit, nunciaturos nulli fugam fore dedecori, si citò redirent. Sed nuncii imaginariâ libertate allecti, mutatâ repente voluntate, ipsimet, ad quos mittebantur, perniciosiores fuere: nam transfugis, ut in perfidia remanerent, & reliquis, ut oppidum desererent, authores se fore clam profitebantur: timebaturque ne malo exemplo alios Neophytos allicerent, totumque Paranam quasi tempestate turbarent. Habito super ea re Sociorum consulto, & Numine per Sacrificia conciliato, Claudius Ruierius & Vincentius Badia, ne pars sincera per dilationem traheretur, acceleratione usi, difficillimo itinere cum fida Neophytorum manu eò perrexere: cumque ad utrorumque transfugarum locum eo tempore pervenissent, quo viri omnes venatum lignatumque ierant; Casiquiorum, quos secum ducebant, operâ, domibus injectis ignis, & multitudo imbellis ad oppidum abigi cœpta est. Sub noctem transfugæ ex venatione reduces, conspecto incendio, id quod erat suspicati, uxorum & pignorum suorum desiderio, Sociis se ultrò traditum venère: qui dissimulatione potius, quàm verborum castigatione utendum rati, collaudato redeundi consilio, in dæmonem pleramque culpam retulère, afferentes nihil illo astutius ad pervertendos eorum animos, qui se ab sua tyrannide subtrahere vellent: caverent imposterum malè monentem audire. Oppido restituti ingentem tori Paranæ lætitiâ peperère, eò etiam uberiorem, quò ipsi constantiores fuere. Nam non diu post omnes Christum professi, desertis pellicibus, legitimo matrimonio copulati, insignem de dæmone victoriam reportarunt: cujus victoriæ grande additamentum fuit, ex Iguafuanis hoc anno quadringentos & quadraginta quinque baptizasse. Frendeat dæmon, & sciat se minorem Mariâ Majore, & calcandum, ubicumque sedem elegerit Cœlorum Regina.

IN Acaraiënsi Nativitatis Beatæ Virginis oppido etiam victus triumphatusque dæmon fuit: nam præter multos Ethnicos Christo assertos, veneficus ille veterationis pudendâ perdoctus, qui ante aliquot annos Claudiûm Ruierium transfo-

CAPUT

IV.

In Niezuuium movetur.

Felix duorum senium Baptismus.

CAPUT

V.

In Iguafuana colonia turbatur.

Catechumenorum fuga.

Ab fuga retractio.

CAPUT

VI.

De cæteris Paranæ rebus.